

lione, viro impigro, vel, ut alii ajunt, Antonio Martinengio, occupatum, Venetasque copias in Cremonensem agrum transmissas audivit. Uter altero prius annum superaverit, quia auctores variant, parum compertum habeo: illud vero omnes affirmant, Sforciam, ubi primum in hostico confedit, confestim Martinengum obsidione cinxisse. Erat id oppidum a Jacobo Gaivano cum valido equitatu initum: aderant & pedites multi, ita ut mercenariorum multitudo aliquanto oppidicæ præstaret. In Venetis castris triginta supra centum equitum turmæ fuisse dicuntur: peditumque vis ingens. His fretus viribus Venetus Imperator, oppidum corona cinxit: mox vero castris, vallo, & fossa communitis, obsessum hostem tam diu premere constituit, donec vi aut fame domitum in potestatem rede-gisset. Picininus, postridie quam Veneta castra eo admota erant, mille passus a Sforcianis munitionibus confedit, loco nemoribus & aquis munito, in omnes occasiones intentus, ut si quid ab hoste temere committeretur, in pabulatores aut stationarios impetum faceret: totis viribus in aciem descendere nullo modo in animo erat. In hoc statu res Philippi erant, qui etsi jam antea tanta rerum omnium laborabat inopia, ut post Picinini reditum in reparando exercitu ab aulicis quibusdam pecuniam, ex officinis arma, equos vero & commeatum a subditis urbibus accepisset; quia tamen summum belli discrimen instare videbat, ut invicto erat animo, & semper in re bellica occupato, summa ope nitebatur partes suas novis supplementis firmare. Veneti quoque & ipsi, quia in possessione victoriæ jam propemodum erant, cæterum ad ostentandam suarum opum potentiam, tam largo, quam unquam alias, stipendio undique militem contrahebant, ita ut paucis diebus præter calones, lixas, & alia hominum genera, qui sordidum in castris faciebant quæstum, triginta armatorum millia circa Martinengum in castris haberent. Diruerant interim assidui tormentorum ictus ipsius oppidi mœnia, ita ut jam facile capi posse videretur, si Sforcia illud aliqua majore oppugnatione fuisset adortus. Abstinuit tamen,

veri-

*Validissimæ
Venetorum
& Philippi
copiæ ad
Martinengum uno
tempore consederunt.*